

cum pace ad Regem Carolum ad Aquis-Palatum.

XXX.

DCCXC VII. Iterum (20) eodem anno introiit Rex Carolus in (21) Saxonia, & pervenit ad pagum, qui dicitur Wihmuoti, ubi firmitas eorum facta fuit, & ipsa firmitate interrupta, introiit Rex cum exercitu suo in pagum illum, vastavit, & incendit pagum illum. Et tunc denuo venerunt ad eum omnes (22) Saxoni de universis finibus & angulis, ubi habitabant, & tulit inde aut obsides, aut de ipsis, quantum ipse voluit; & de Fresionibus similiter; & Rex Carolus rediit in Franciam, & post aliquantas hebdomadas iterum intrauit in Saxonia, & ibi habitavit ipsam hyemem, & fecit Sedem suam juxta locum, ubi Timella fluit in (23) VVitaraha, quem etiam (24) Heristelli appellavit, eo quod sub exercitu suo fuerunt constructæ ipsæ mansiones, ubi habitabant.

XXXI.

Ipsa anno fuit Rex Carolus in Saxonia, & apud (25) Heristallo novo ipsam hyemem ibi refedit, & ibi celebravit Pascha; quem locum, ut nos audivimus, ipse Rex ita appellavit, quia ab (26) hoste ipso ipsæ mansiones, in quibus habitabant, constructæ sunt. Et in ipsa æstate pervenit cum exercitu suo ad Bardunvvh, & illi omnes se tradiderunt in manus ejus; & tulit inde illos (27) Capitaneos, quos voluit, & de obsidibus quantum ei voluntas fuit. Et interim congregati sunt Sclavi (28) nostri, qui dicuntur (29) Abotridi, cum Missis Domni Regis ad illos Saxones, qui in Aquilonis parte abierant, & vastaverunt terram illam & incenderunt; & illi Saxones congregaverunt se in unum, & commissum est forte prælium inter eos; & quamvis illi Abotridi (30) fanatici erant, tamen Fides Christianorum & Domni Regis adjuvit eos, & habuerunt victoriam super Saxones, & ceciderunt de ipsis Saxonibus ante eos in ipsa pugna duo millia DCCCC., & in North-Thurnagos ibi provenerunt ipsi Sclavi ad Domnum Regem, & honoravit eos Domnus Rex, ut digni erant, mirificè. Et inde Domnus Rex remeavit ad Franciam, & de ipsis Saxonibus tulit secum quos voluit, & quos voluit dimisit; & ipse pervenit ad (31) Aquis-Palatio, & ibi hiemavit.

XXXII.

DCCXCIX. Iterum Domnus Rex Karolus apud Aquis-Palatio celebravit Pascha. Et in-

- (20) Eodem pro eo.
 (21) In Saxonia pro in Saxoniam; uti alias sæpè.
 (22) Saxoni pro Saxones.
 (23) VVitaraha, Vifurgis.
 (24) Vocabulum merè Germanicum, quod compositum est ab Heer, hoc est, exercitus, & fiell, hoc est locus.
 (25) Ita hic scriptum est, at paulo ante legitur Heristelli.
 (26) Ita hic scriptum est, at paulo ante legitur, ab ipso Carolo Magni exercitu mansiones illas fuisse constructas.
 (27) Ita scriptum est.
 (28) Locus notabilis. Opinor autem, Sclavos illos, qui ad Mare Balticum habitant, ab Auctore horum Annalium hic cognominari nostros ad differentiam Sclavorum, quorum sedes inter Dravum & Savum amnes etiam nunc Slavonia appellatur.

stigante Diabolo Romani comprehenderunt Domnum Apostolicum Leonem in ipsis letaniis, quod est VII. Kal. Maji, & absciderunt linguam ejus, & voluerunt eruere oculos ejus, & eum morti tradere. Sed juxta Dei dispensationem malum, quod inchoaverunt, non perfecerunt. Et Domnus Rex eodem anno introiit in Saxoniam, & refedit ad Padresbruuna, & ibi venit ad eum Domnus Leo Apostolicus, quem antea volebant Romani interficere, & suscepit eum Domnus Rex honorificè, & multis donis & honoribus eum honoravit, & postea cum pace & honore magno eum remisit ad propriam sedem. Et Missi Domni Regis deducebant eum honorificè, & eos, qui in mortem ejus consiliati sunt, transfuderunt ad Domnum Regem, & (32) SUNT MODO, ut digni sunt, in exilio. Et Domnus Rex inde tulit multitudinem Saxonorum cum mulieribus & infantibus, & collocavit eos per diversas terras in finibus suis, & ipsam terram eorum divisit inter fideles suos, idest, Episcopos, Presbyteros, Comites, & alios Vassos suos, & ibi ad Padresbrunnam ædificavit Ecclesiam miræ magnitudinis, & fecit eam dedicare, & post hæc reversus est in pace ad Aquis palatum, & ibi refedit.

XXXIII.

DCCC. Ipsam hyemem refedit apud Aquis-Palatio, & circa Quadragesimæ tempus circumvit Villas suas, seu etiam corpora Sanctorum, usque dum post Pascha pervenit (33) Torones, ubi corpus Beati Martini requiescit; & fuerunt cum eo filii sui Carolus & Pippinus. Sed & (34) Clodovæus ibi advenit filius ejus; nec non (35) Liutgardis conjux Domini Regis ibi defuncta est, & facta ibi oratione solenniter, & cum pace reversus est ad propriam Sedem. Et in æstivo tempore congregavit Optimates & fideles suos ad Mogontiam Civitatem; & cum cognovisset undique per omnes fines suos pacem, rememoravit de injuria, quam Romani Apostolico Leoni fecerunt, & direxit faciem suam, ut iret partibus Romæ, & ita fecit. Et ibi fecit conventum maximum Episcoporum seu Abbatum cum Presbyteris, Diaconibus, & Comitibus, seu reliquo Christiano populo; & ibi venerunt in præsentia, qui ipsum Apostolicum condemnare voluerunt, & cum cognovisset Rex, quia non propter aliam justitiam, sed per invidiam eum condemnare volebant, tunc visum est & ipsi piissimo Principi Carolo, & universis Episcopis, & Sanctis Patribus, qui ibi adfuerunt, ut si ejus voluntas fuisset, & ipse petisset, non tamen per eorum judicium, sed spontanea vo-

- (29) Abotridi illi sive Obotridi habitant in Ducatu Mechlenburgenfi. Vide Helmoldi Presbyteri Bosoviensis, & Arnoldi Abbatis Lubecensis antiquum Chronicon Sclavorum, ut & Alberti Crantzii Saxoniam, Vandaliam, & Metropolim.
 (30) Fanatici, hoc est, Gentiles, sive Ethnici.
 (31) Ita semper ibi scriptum legitur, nempe ad vel apud Aquis palatio, pro Aquisgrani Palatium.
 (32) Locus notabilis; unde rectè colligitur, Auctorem horum Annalium eodem tempore, ubi illa contigerunt, vixisse.
 (33) Cæsærodunum Turonum, nunc Tours.
 (34) Ita ibi scriptum est pro Hlodovæus, sive Lodovæus, hoc est Ludovicus.
 (35) Notabilis locus. Vocatur enim ea alias Hildgardis. Vid. Pith. & Freher. Annal. in actis hujus anni.